

Letter 221: 14 October 1524, Strasbourg, Capito to Nicholas Prugner

This letter is printed in TB II, 124.

S. D. Quam optarem res tuas esse felicissimas! Cogitavi de te ad nos vocando, sed parum hactenus licuit, tot obruimur eiectis fratribus ut supersint multi et egentes quidem, quibus aegre subvenire liceret. Verum gaudeo te pergere Christum, sic decet invitis Tartaris asserere. Confide, obsecro, in Dominum nec deiiciaris terriculamentis mundi. Elvetios video fore placidiores, vestra
5 constantia frangentur, obdurandum igitur, forti fac sis animo. Nam haec nostra sors est, ut feramus mala optime demerentes.

Adhortationes meditabor Mulhusianis tuis. Mole iam premimur negotiorum de provinciali, publicis propediem litteris respondebimus veritatem. Scis enim quantis mendaciis deferamur etiam in senatu Elvetiorum. Nunquam enim victi hactenus discessimus, verbo
10 siquidem Dei connitimur; quo salvo nos indubie servabimur et palmam auferemus. Sed procedit Christi negotium apud nos. Item Eslingae apud Marchionem Badensem, apud Ulmam, apud Oenopontanos et per reliquam ditionem Ferdinandi regnat Christus invitis adulatoribus, nihil non apud Austriae principes non potentibus. Marchio Casimirus Brandenburgensis synodum habet, deliberat super articulis controversis; huius cancellarius optime sperat. Quo autore singula
15 geruntur. Augustae est nonnihil turbarum. Urbanus tamen Regius, iterum exul, illic regnat, fides est, quantum scio, frater in Domino et constans assertor verbi. Erasmi liberum arbitrium satis libere carnem palpatet humanas vires, cui egregis respondebitur per M. Lutherum, alioqui esse ut, qui minoris venae sunt, sed idonei satis ad istiusmodi fumos discutiendos. Bellum hinc nascetur arduum, quod in annos aliquot propagabitur. Rescivimus brevi Elvetios laboraturos
20 super concordia sarcienda, quae res et evangelio et tibi est profutura. Vos qui prope estis, minus fortassis earum rerum scire potestis, familiam tuam et te in Christo valere cupio. Argent. 14 Octob. anno 1524. Resalutat te uxor mea.

Tuus Fabritius Capito.

Dominum Ioannem Oswaldum archigrammaticum cuius olim familiaritatem, unius prandiole consuetudine, cepi et conservavi animo hucusque, salvum opto et fortiter favere Christo, quo in viro multum momenti situm est. Nam scribae civitatum loco cordis habentur; omnibus membris senatus vim et spiritum influunt. Hunc ex me ores, nostrum hic scribam imitetur virum quidem ex amico Christianum.

30